



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ivdicivm Revolvtionis Anni, M. D. LIII. & trini aspectus
capitis Medusae & Martis**

Basilicus, Jacobus

[S.I.], 1554

VD16 ZV 1094

Praefatio Michaelis Caelii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12517

T. C. solatium aliquod afferrem , ostenderemque
spem adesse bonis ac innocentibus , qui hactenus ab
alijs oppressi iniustissime fuerunt , eos aliquando tan-
dem uitam suam , a maioribusq; longissima serie reli-
ctam dignitatem fortunasq; Deo adiuuante , receptu-
ros esse . Volui etiam hac occasione meam spem cum
tuæ clarissimæ dominationis futura fœlicitate coniun-
gere . Hoc igitur tenue meum studium & scriptum ,
ut benigne accipias suppliciter & reuerenter , te pi-
entiissime Domine ac patrono oro . Vale multis sœ-
culis fœlicissime , atq; nos tuo patrocinio olim com-
mendatos seruato . Ex Mansfeldia 16. Ianu. Anno
a nato Domino , 1554.

PRAEFATIO MICHA. ELIS CAELII.

DVLCISSIMA PROFECTO VOX
est Filij Dei , & plena consolationis , quam so-
nat per Prophetam , dicens : Viuo ego nolo
mortem peccatoris , sed ut conuertatur & uiuat . Si-
gnificat enim se Deum esse non perdendi , sed saluos
faciendi , ut Psalmus inquit , tantum ut resipiscentes ad
se se conuertantur : Neq; uero hanc nostram conuer-
sionem requirit Deus tantum per ministerium Eccle-
siasticum , sed etiam omnes creaturæ , maxime uero sy-
derum positus testari uidentur , se in eum finem con-

A. 3 ditos,

ditos, ut nos commonefaciant, Deum acerrimum tim= dicem esse peccatorum, & rursum placidum & be= nignum erga eos, qui resipiscentes, uera fide in Christum eum inuocant. Cum igitur acer ac diligens animaduersor syderum, Nobilis & artium Magister, Iacobus Vasilicus, qui turcica tyrannide ex Græcia pulsus, nunc exul est in aula Mansfeldina, apud incly= tum & generosum Comitem Albertum, a quo & pie de benigne tractatur, magna ingenij sagacitate cog= nouerit, in reuolutione istius quinquagesimi quarti anni, ultra sesquimillesimum a nato Christo seruatore nostro, tantas ac tales fieri coniunctiones Planetaryarum & positus syderum: Quales retro a seculis multis non fuere, nec forte futuri sunt, Nihil dubitandum est eternum Deum, sua prouidentia istos syderum positus sic ordinasse, ut huius seculi homines, in quo indies omnis generis flagitia & iniquitates crescunt, ad ue= ram pœnitentiam reuocentur: Et ut agentes pœni= tentiam, extollerent capita sua, sperantes redempti= onem suam, cum corporum, tum animarum. Reliqui uero, luentes pœnam delictorum suorum, sua culpa id accidere faterentur. Adeo ut uerum maneat quod præmisimus, Deum magis uelle uitam, quam mortem peccatorum, & omnes qui pereunt, sua non Dei uo= luntate perire. Christe fili Dei uiui guberna nos spiritu S. tuo, ut admoniti tuo uerbo, signis ac creatu= ris, te solum Deum agnoscamus & ueneremur, una cu Patre et spiritu S. Amen.

TRA

